Bibliothèque numérique

medic@

Chicoyneau, Michel. - [Diplôme de docteur en médecine de Gilbert Rémi Lemayre de Moulins]

Montpellier, 1689.
Cote : Ms 2508

Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02508

VNIVERSIS ET SINGVLIS.

Præsentes Litteras visuris et audituris Nos Michaël Chicoyneau Regis Consiliarius et Medicus nec non Almæ Monspeliensis Medicorum
Universitatis Professor Regius Anatomicus Botanicus Cancellarius et Judex Salutem in Domino qui est omnium vera Salus Majorum Nostrorum
vestigijs inhærentes eorumque laudabilia instituta nobis [illegible] per manus ad hoc usque tempus tradita sequi per omnia volentes dignum fore duximus
[illegible] probitas honestas [illegible] Cognitio Commendatur [illegible] Se tollunt atque [illegible]
Prolixioris et Eruditi Meritorum præmia Consequuntur Cæteri ad virtutis studia ut Eosdem honoris gradus Adipiscantur Ardentius pervenire
Nitantur his de causis Omnibus notum esse volumus hac præsentium Litterarum Serie Confirmatum dilectum Nostrum Magistrum . . . .
.GILBERTVM.REMIGIVM.LE MAYRE.MOLINENSEM. Jamdudum Medicinæ Licentiatum ob morum
Integritatem variamque ac multiplicem Eruditionem famamque Laudabilem totius Universitatis Consensu honoris fastigia in eo disciplinæ genere
fuisse Consequutum is maxima et Certissima Eruditionis eximiæ testimonia nobis præbuit tum in publicis Examinibus quæ per intentionem dicuntur
In quibus singulis Academiæ Doctoribus publice magno Auditorum Concursu de obscurissimis Artis Medicæ placitis docte Eruditeque Respondit tum etiam in severo illo examine
quod Rigorosum Appellamus in Scholis sustinendo in his omnibus tam Eximium Eruditionis suæ Specimen præbuit ut et legendo et veterum dogmata Interpretando multiplicis . . .
Reconditæque in Arte Medica Eruditionis Certissimum testimonium Reliquerit nihilque in eo fuerit desideratum quod ad perfectam Medicinæ Cognitionem pertinere videretur.
his Rationibus et ipsa Juris et statutorum prædictæ Universitatis æquitate moti reliqui Doctores fratres Nostri postquam illius doctrinam multis Examinibus probarunt post
Nostram etiam in hac parte sedulam ac diligentem probationem Communi Omnium Consensu nullo prorsus repugnante a nobis idoneus fuit approbatus et suis exigentibus meritis
in hac præclara Medicæ facultatis universitate gradum Licentiæ Jure optimo die Nona Mensis Martij Anni Millesimi Sexcentesimi Octuagesimi noni Obtinuit .
Reverendus Igitur Vir Stephanus De Largier vicarius generalis R. R. D. D. Caroli De Pradel Episcopi Monspeliensis de consensu Omnium Clarissimorum
Doctorum ac Licentiatorum post eximiam Indolemque [illegible] Commendationem Eidem Magistro . GILBERTO . REMIGIO . LEMAYRE .
Licentiæ gradum Concessit in forma quæ sequitur Ego Authoritate qua fungor in hac parte do tibi Licentiam accipiendi Insignia Doctoralia quando R. R. D. D. Professoribus
Regijs videbitur quibus acceptis do tibi licentiam Legendi, Examinandi, Corrigendi, Glossandi, Practicandi Cæterosque Omnes Actus Magistrales Exercendi hic et ubique terrarum .
ad Laudem Dei omnipotentis Patris et filij et Spiritus Sancti Amen Atque ita cum Licentia [illegible] requisitus ut ad Doctoratûs Lauream promptus et apertus ei pateret Aditus ad
Nos Prædictum Michaëlem Chicoyneau Cancellarium D. D. Amatum Duranc Decanum Consiliarios Medicos et Professores Regios se contulit a quibus . . .
Disputationis puncta petiit et Accepit paucisque diebus Transactis in Scholis Regijs dictæ universitatis palam propositis sibi varijs Medicinæ Theorematis adversus illa disputandi
Copiam Omnibus fecit et per triduum Integrum Incipiendo a die decima septima ad diem usque Decimam Nonam Mensis Martij Anni millesimi Sexcentesimi Octuagesimi noni
Magna Ingenij contentione tam Erudite respondit ut nullus illius Eruditionem in hac disputatione non Confirmarit qua ratione factum est ut idoneus sit habitus qui Doctoratus Laurea
Cum vellet Insigniretur Atque ita Triduana Disputatione functus die decima Nona Eiusdem Mensis In Aula Scholarum dictus Licentiatus Magister . GILBERTVS .
. REMIGIVS . LEMAYRE . a nobis Requisiuit insignia Doctoralia sibi Concedi diem horam et Doctorem Laureantem sibi assignari cuius Requisitionibus de
assensu Clarissimorum Doctorum Annuimus et acquievimus Eique diem horam et Doctorem Laureantem Concessimus itaque die secunda Mensis Aprilis Congregatis ad pulsum
Campanæ Omnibus Medicinæ Professoribus Doctoribus Licentiatis Consiliarijs Baccalaureis et Studiosis prædictæ universitatis Actum Eiusdem decorantibus Certo ordine
a domo domini Licentiati ad aulam magnam Regij Collegij hora nona matutina processum est ubi recepit Insignia Doctoralia per manus Illustrissimi viri D. D. Joannis
Chastelain Consiliarij Medici et Professoris Regij Byrretum quadratum flosculo serico rubeo ornatum Concedendo Lumbosque eius aureâ Zonâ Cingendo Cathedra
Doctorali donando Libro clauso et aperto Manumque illius muniendo Annulo Aureo Medicinam Desponsando cum osculo pacis et Benedictione paterna Quapropter
suis Exigentibus Meritis prædicti Doctoratus honorem obtinuit et obtinet inter Nos hic et ubique Terrarum idque Juxta præfata vicarij generalis privilegia et statuta
quæ accepit eadem die et hora dicti Mensis et Anni Laureante patre Illustrissimo viro D. D. Joanne Chastelain Nos Igitur Michaël Chicoyneau Regis
Consiliarius et Medicus nec non Almæ Monspeliensis Medicorum Universitatis Professor Regius Anatomicus Botanicus Cancellarius et Judex qui Omnibus
Actibus semper adfuimus Eique et [illegible] dum dic [illegible] dictum Est fuerunt [illegible] Eundem Dominum . GILBERTVM . REMIGIVM .
. LEMAYRE . Doctorem Dicimus Declaramus Approbamus et Asserimus In quorum Omnium Fidem et Testimonium has litteras Chirographo nostro Obsignavimus
et prædictæ Universitatis Secretarium Obsignari Jussimus Appenso sigillo novo nostro rotundo Memoratæ universitatis Datum Monspelij Anno Domini
Millesimo sexcentesimo Octuagesimo nono die secunda Mensis Aprilis

Chicoyneau Cancellarius Et judex

De mandato dicti Dni Cancellarij
[illegible]